Nubiani eadem ratione. Totus enim mons Oliveti repletus erat orientalibus Christianis illo die, quae autem causa fuerit congregationis orientalium illo die, ignoro. Transivi autem ego solus Latinus inter illos orientales, nec aliquis molestiam mihi aliquam fecit, nec me a suis Officiis repulerunt. Ammirabantur quidem de me, respicientes me et habitum meum et mores meos. Sunt illi praenominati orientales communiter omnes nigri, et colore, vestitu, lingua, ritu et moribus nobis difformes. A loco ascensionis Domini descendi in Gethsamini, et rupem, quae praefert corporis Christi impressuram, quam accepit in captivatione Christi, diligentissime quaesivi, sed minime invenire potui. De hac rupe vide fol. 146 A. Post haec ad montem Syon reascendi ad prandium.

Decima nona die accepi licentiam a patre Gardiano, et societatem petii ad visitandum castellum Emaus. Difficilis autem fuit pater Guardianus, dicens, viam esse insecuram; propter instantiam tamen meam licentiam dedit, et duos fratres mihi adjunxit et unum Sarracenum, et simul exivimus de Jerusalem per viam, per quam duo discipuli, Cleophas et Lucas, in die resurrectionis Domini transierunt cum Domino Jesu in forma peregrini eis apparente et corda eorum incendente ignito suo alloquio, ut habetur Lucae 24. Pervenimus autem cum pace usque in Emaus et ibi loca desiderata deosculati sumus, de quibus habetur supra fol. 90 B. Cum timore autem ruinas illius civitatis lustravimus, quia cum sit in via, quae de mari ascendit in Jerusalem, raro est locus sine praedonibus, qui transeuntes sugillant. Beatus Jeronymus, de distantiis locorum, dicit, suo tempore insigne oppidum fuisse, quod etiam ruinae demonstrant.

Deinde ascendimus in montem Sylo, de quo etiam dictum est fol. 90 A. B., et ibi visitare et videre voluimus loca sancta, sed citius Sarraceni supernis domicilia habentes nobis occurrerunt nosque cum lapidibus repulerunt. Cumque in vallem venissemus, ad radices alterius montis venimus et in ejus cacumen conscendimus. Hic mons dicitur mons martyrum, pro eo, quod Leo quidam sepelivit ibi XXX millia corpora martyrum, quos Cosdroe rex Persarum interfecit pro fide Christi, ut habetur in Histor. Eccles. His visis per vallem

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;

0765
0763
0769
0759
0774
0754
0814
0714
0864
0664
0264
Ende
Anfang